

D. D.

EXERCITIUM ACADEMICUM,

PRÆSAGIA TEMPESTATUM, QUE COLLECTA SUNT

IN

CARELIA, EXHIBENS,

QUOD,

*Annuente ad Auram Senatu Philosophico,
Sub CLYPEO*

CAROLI FRIDERICI MENNANDER,

Scient. Nat. PROFESSORIS Reg. & Ordin. PASTO-
RIS im Rändämäki, & Scientiarum Acad.

Holmiensis MEMBRI,

Ad diem, si DEO videtur, XXIII. Novembr.

Anni MDCCCL.

Loco horisque consuetis,

Bonorum, qua par est observantia,

Disquisitioni submittere constituit

REGIUS ALUMNUS,

GUSTAVUS FRIDERICUS AURENIUS,

CARELIA-FENNO.

ABOÆ, impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB. MERCKELL.

VIRO
ADMODUM REVERENDO atque
PRÆCLARISSIMO,

DOMINI NO. PAULO
KROOGIO,

Ecclesiarum, quæ DEO in Piexämäki colliguntur,
PRÆPOSITO & PASTORI vigilantissimo, PATRO-
NO OPTIMO, summa, qua par est, reverentia,
jugiter colendo.

Quid cliente dignius est, quam Patronorum suorum be-
neficia prædicandi quamvis captare occasionem?
Quid juvē, qui sub tenera aetate ærumnis variis
suppressa & repagulis coercita, bonorum expertus est cu-
ram & tutelam, quam studiorum suorum primitias his
offerre, & piam ac venerabundam mentem, ubicunque
illa sese offert opportunitas, verbis declarare & oculis
cñniūm exponere? Beneficiis Tuis, Vir Admodum Reve-
rende, in me & Paternam domum meam cumulatis, ita me
Tibi reddidisti obstrictum, ut gratissimo animo Nomen
Tuum prosequi, & ea jam pridem publice decantatissima
reddere meum fuisset. Etsi vero pietatem meam nullo
bucusque modo declarare potuerim, hæret tamen penitus
menti memoriaque infixum, & semper hærebit, quanta
Tuo Patrocinio felicitas, quantumque boni in me & do-

num
Iacob. MERCERII
Iacob. MERCERII

num Paternam redundaverit. Bis enim tristissimus Pa-
rentum discessus duriori me adflicxit fato, fortunaque ludi
briis exposuit, & per lugubri ejulatu ac lamentatione to-
tam domum implevit. Ast Tu, Vir Admodum Reve-
rende, curam & tutelam afflictæ familie & omni humana
destitutæ ope in Te mox benignissime suscepisti, nostrisque
deploratis rebus ita succurrere non es gravatus, ut eam,
que jam earum restituendarum spes exorta est, Tibi
post Deum unicè debeamus. Favens ergo suscipe, Vir
Admodum Reverende, humillime queso, specimen hoc
Academicum, multiplici favore obserati clientis, omni li-
cet nitore prorsus destinatum, nisi quod Nomen Tuum
sibi præfixum gerat, non ut remuneracionis subeat vi-
cem, sed ut beneficiorum Tuorum recordationis tesse-
ram suppeditet qualemcumque. Quod reliquum est,
nec desinas, Vir Admodum Reverende, humillimus
oro & obtestor, mihi semper favere, Tuoque in me
in posterum etiam indulgere affectui. Meum erit,
pro perenni Tua Tuorumque felicitate calidissima fun-
dere suspiria.

ADMODUM REVERENDI atque PRÆCLARISSIMI
NOMINIS TUI

Cultor humillimus,
GUST. FRID. AURENIUS.

VIRIS Admodum Reve
Dno. Mag. DAVIDI STARCK,
Degerbyensium & adjacentium Ecclesiarum ANTISTITI
meritissimo.

Dno. JOHANNI DEUTSCH,
PASTORI Hitolensium vigilantissimo, & adjacentis di-
strictus PRÆPOSITO ac Consistorii Wiburg-
ensis ADSESSORI aquissimo.

Tot eantisque a Vobis ornatus sum beneficiis, ut a parente
Vestra intraveram, & mox mihi aditus non ad fores sed
scendi diu quesi, quam nunc demum inveni, dum levia bac-
fronie, & siniti mihi in posterum etiam favore Vestro frui. Ego
prorumque perenni incoluntate sedulo invigilante ero

ADMODUM REVERENDORUM
NOMINUM

ANNO MDCCLXVII
REVERENDISSIMA
CONVENTUS AUT
CENSUS TUT

Cultor
GUST. FRID.
EST. TUD. AURENIUS.

rendis atque Praclarissimis,

Dno. Mag. GEORG. HELSINGIO,

Ecclesiarum Randafalmenium dignissimo
ANTISTITI.

Dno. BOGISILAO HORNborg,

PASTORI Jachimwarensum dexterrimo, & PRÆPOSITO
districtus adjacentis dignissimo, Consistorique Wi-
burgensis MEMBRO meritissimo.

nec plura nec majora potuerim expectare. Vix enim limina
adyta favoris singularis patebat. Ansam hæc talia publice agno-
sed gratissime mentis munera Vobis offero. Accipite illa serena
ad eum eres usque animo obstrictissimo & votis pro Vesta Ve-
& PRÆCLARISSIMORUM
VESTRORUM

**& PRÆCLARISSIMORUM
VESTRORUM**

VESTRORUM

observantissimus - *caeruleo*

AURENIUS.

VIRO Plurimum Reverendo ac Clarissimo,
Dno. JOHANNI WECKMAN,
Ecclesiaz Kefalaxenfis PASTORI ut meritissimo ita
vigilantissimo, PARENTI filiali adfectu
eternum colendo.

Tandem dies exoptatissimus oritur, quo amorem *Tuum*
vere paternum, quem tam abunde in filium transfudi-
disti, ut omnia, *Tibi, Parens exoptatissime*, post Deum debeam,
publice celebrare licet. Erat cœlum nostrum atris nubibus
obductum, & paterna domus cladem omnia minitabantur præ-
figia, quando *Te* provida Numinis cura in parentis locum &
adfectum surrogavit. Disparuere mox nubila, & grata ferenti-
tas est subsecuta. Ab illo tempore educatio mea *Tibi* adeo
cura cordique fuit, ut nulli labori nullisque sumtibus peper-
ceris. *Tuus* in me adfectus tantus fuit, ut plura beneficia a
naturali Patre profici non potuerint. Dum itaque in arr-
ham filialis obsequii mei primicias hasce studiorum meorum
Tibi Nominique Tuo dico & dedico, meum foret, lautas &
Siculas dapes tanto prelio emtas *Tibi* offerre. Ignoscas vero,
Parens exoptatissime mihi, quod, ob hebetudinem ingenii & at-
atem immaturam, dissertatiunculam hanc nullo sale nulloque
aromate conditam *Tibi* dicare audeo, cum aliud mihi non sit,
quod rependam. Servet *Te* Deus Ter Optimus Maximus
nobis quam diutissime salvum & in columem! Ero quoad
vixero

Parentis Exoptatissimi

obedientissimus filius,
GVST. FRID. AURENIUS.

Ärevördige och Högvällärde Herren,

Herr FRIDRIC GUST. BERNER,

Välberömd Comminister uti Menduhariu.

Min Gunstige Moder-Broder.

Ärevördige och Högvällärde Herren,

Herr BENJAMIN WECKMAN,

Waksam Brucks-Predikant i Forsby.

Min Högtärade Fader-Broder.

Ärevördige och Högvällärde Herren,

Herr CHRISTOPHER HOPPIUS,

Välförtient Comminister i St. Andreæ Församling.

Min Högtärade Svåger.

Ärevördige och Högvällärde Herren,

Herr HENRIC ALOPÆUS,

Berömlig Comminister i Condiolax.

Synnerlige Gynnare.

Högvälachtade Herren,

Herr MATTHIAS ÅKERBLOM,


Välbetrodd Häradsskrifvare i Ryska Carelen.

Min Högtärade Svåger,

** * ** * *
Edra mångfaldigt ärtedda välgerningar skulle fördra
af mig en lika gengåfva. Det står til framtidens,
om sådant på eftertryckeliga fätt någonsin kan ske.
Men nu förmår jag ej mera framte, än et ringa
papper-kram, hvilket jag Eder upoffrar til en pant
af min skyldiga ärkänsla. Uptagen detta såsom et
vedermäle af den synnerliga förbindelsen och tilgifven-
het, hvarmed jag framlefver

Mine Herrars

CHRISTOPHER HOPPIUS.
HENRIC ALOPENUS.
HAN MATTIAS VICKERBLOM.
Gust. Frid. Aurenius.



I. N. S. S. Triados!

Prooemium.

Erat olim epidemius error, variationes tempestatum non annuas tantum, sed menstruas quoque & quotidianas, esse corporum cœlestium in globum nostrum influentiis adscribendas. Animadvertebant enim facile, magnas illas annuas mutationes, & veris, æstatis, autumni hyemisque successiones anniversarias a solis ad nos relatione ortum ducere. Cum autem simul viderent, temporem unius anni cum alterius cuiusque non secundum omnia conspirare, has speciales aëris & tempestatum vicissitudines non posse solis cursui, qui quotannis idem est, attribui concludebant, sed esse infinitæ hujus varietatis innumeræ rationes alias cœlitus allegandas judicabant. Pararunt itaque fictiis meteororum causis redditis amplissimam segetem. Sumebant in subsidium stellas reliquas, tam fixas quam erraticas. Deducabantur aëris phænomena non ex lunæ modo crescentis aut decrescentisphasibus, quovis mense ordine statu recurrentibus; sed etiam e cœlestium signorum diversa indole & natura; ex planetarum quoque adspectibus, quibus aut lunam continentur, aut se mutuo respiciunt. Solis porro cum Orione,

A.

Pleja-

Plejadibus, Canicula, aliisque fixis astris congressus, & ipsa solstitiorum & equinoctierumque puncta inter caussas variantium tempestatum referebantur. Varias planetis tribuebant facultates, quibus in hac sublunaria agerent. Ita supponebant tanquam compertum, Saturnum frigidorem esse quam siccum, adeoque nubes aërisq; frigus efficere; quod tamen dissiparet Jupiter, qui caloris & flicitatis esset promus condus. Eadem facultates Mars in excessu possideret, ita ut tempestates & tonitrua cieret. Venus credebatur humida & frigidæ tempestatis mater; Mercurius vero versatilis naturæ judicabatur. Luna denique humectandi parumque calefaciendi vim generatim possideret; quæ tamen, pro vario suo ad solem positu, jam hanc jam illam qualitatem exercebat. Fixis stellis minorem quidem in hac inferiora vim, quam planetis, ob distantiam majorem, assignabant; interim tamen neque his virtutem omnem in aëris mutationibus caussandis, dengandam judicabant, sed accedere quamque ad illius planetæ indolem, quem splendore & calore suo referret. Ipsum porro cælum, commune illud stellarum omnium receptaculum, in duodecim partes, vel signa Zodiaci, elementaribus qualitatibus distincta, dividebant; ita ut horum tria essent, si Diis placet, igneæ, tria terree, tria aereæ, tria denique aquæ naturæ, sub quibus signis errantium planetarum operationes intenderentur aut remitterentur, & innumeris modis variarent. Ut alia his ipsis non saniora taceam, quæ copiose videri possunt in Origani, Argoli, Stadii Leonutensis, aliorumque ephemeridibus. Quam autem inveterata & communis

mis fuerit hec gentium opinio, de astris aëris tempestatumque variationes producentibus, vel inde patet, quod hominem non in oriente modo eadem obtineat, sed etiam tam in Europa reliqua quam ipso septentrione, apud rurdiorem plebeculam, ejus supersint manifesta vestigia. Tandem vero animadversum est, eos, qui causas omnes variationis tempestatum a sideribus accersunt, jure comparari posse homini, qui perspicilla naso insidentia per omnes ædium suarum angulos querit; aut illi, qui equum sollicitate indagat, quo vehitur. Nimirum observarunt naturæ scrutatores, dependere meteororum & tempestatum diversitates a lumine, calore, motuque solis, atque ipsius terrauei globi conditione & exhalationibus. An lune hoc in negotio tribuenda sint partes aliquæ, adhuc ambigitur. Reliquis vero corporibus cœlestibus nuntius remittitur. Et ita in naturam & causas horum phænomenorum, excogitatis etiam & in subsidium exhibitis variis instrumentis, inquire cœptum est. Instigante Philosophos ad collocandam heic industriam imprimis utilitate summa, quam habet aëris temperiei cognitione, tam alibi, quam in medicina potissimum & œconomia. Cumque viderent, apud plebem, necessitate & usu excitatam, & longa rerum experientia munitam, latere plurima tempestatum presagia, ut hec sedulo colligerentur, in optatis fuit. Quamvis enim horum multa sint aperte falsa, & rationi e diametro repugnantia; alia dubia, circa quæ judicium suspendere & ancipi cogitatione vacillare cogimur; sunt tamen etiam aliqua vera & genuina observata, quæ ex principiis physicis explicari possunt, vel etiam continuo even-

eventu & sensuum testimonio sufficiuntur, fidemque sui faciunt. Præfagia, quæ vides, B. L. in Carelia collecta speciminis Academicí loco, tibi, qua pars est observantia, offero. Constitueram quidem, omnia sub incudem revocare, & eorum quodlibet vel candido calculo comprobare, vel atro carbone notare. Sed postea, tam prolixitate quam difficultate operis deterritus, consilium mutavi, parcusque judicium qualecumque meum interset, pleraque vero tuæ censuræ subjicienda esse judicavi.

§ I.

Prolaturi præfagia nonnulla tempestatum, eum ordinem servabimus, ut a superioribus ad inferiora descensus fiat. Tempore autumnali, a Galaxia (Fin. *luminaria*) Carelienses borealiores prædivinat tempestatum varietatem per integrum hiemem, sequenti ratione: Si illa pars viæ lacteæ, quæ ad plagam orientalem vergit, maculosa videatur, ista opinione trahuntur, ante solstitium hibernum, hiemem futuram vehementissimam, & terram frigore alte constrictam, niviumque vi maxima obiectam. Si vero stellæ in medio galaxiæ maculis tum obnubilentur, altas nives adulta hieme exspectant. Parte autem ejus occidentali maculosa, erit hiems senescens dum nivosa. Tota lucida, frigus per totam hiemem æquale & vehemens portendere judicatur. Cum hoc coincidit fere alterum prognosticum: Si galaxia autumno debilem splendorem diffundat, & procul distare videa-

videatur, nivalis tempestas mox incidet, & omnia loca nive copiosa brevi obruta erunt. Si autem eadem lucidior & propius in atmosphæra pendens appareat, vix ante solstitium hibernum erit rhedarum aliquis usus. Eadem post Iacobi diem clara nitens luce, cœlum serenum & mites ventos promittere creditur. Quamvis nostri se nunquam his præfigiis decipi contendant, illa tamen valde vacillantia esse, neminem, qui vel primis labiis Philosophiam degustavit naturalem, fugere potest. Maculæ quidem galaxiæ & ejus languidum lumen, utpote quæ de atmosphæra vaporibus repleta testimoniorum perhibent, possunt esse præcursorum pluviae vel nivis. A situ tamen harum macularum prædicere velle totius hiemis varietatem, nimis audax censenda est conjectura. Stellæ citius solito tenebris obductæ ventos indicare creduntur. Ex lunaris quoque luminis apparentiis indicia pluviae vel siccitatis petunt, secundum proverbium: *Pysty cuu veden pitä, laucku mahhan lasketta.* Frigus, decrescente luna, decrescere, & contra, perhibent; cuius tamen contrarium evenisse sub hyeme A. 1709. quæ maximam sibi peperit famam, observavit J. G. Räjerus in disp. de frigore illo insolito. Stellæ quoque cadentes dicuntur ventos prænuntiare, spirantes ex illa plaga, unde agitantur. Circa has vanissimam illam opinionem fovet vulgus, quod sint stellæ reales, & fidera ex locis suis propriis, nescio qua .vi. impellente, agitata. Sed quid mirum? dimetiuntur enim illi eorum magnitudinem ad veritatem opticam, & illis non majorem, quam

sub qua nudo apparent oculo, tribuunt magnitudinem. Cum tamen hæc sint corpora totalia universi vastissima, Stella vero cadens est materia inflammabilis viscida, in exiguum globum congesta, clara luce luci stellarum æmula fulgens, & magnitudinem stellæ ad parentem habens. Hæc cadens conspicitur, & statim deorsum tendens, dum ponderosiorum continet materiam, vel atmosphæra quiescit; discurrens vero levioris & subtilioris est materiae, & motibus aëris obtemperat, adeoque de vento jam præsenti testimonium perhibet. Potest etiam ars ejusmodi stellas perfecte imitari.

§. II.

SI sol oriens citius solito radios præcursorum habuerit, ventos furentes vel etiam tempestatem nivis aut pluviale exspectant. Halones, parhelii & paraselenæ pluviam indicare nostris creduntur. A libi in Finnia solis tantum halones humiditatem, lunæ vero serenitatem & ventos portendere perhibentur, secundum antiquum proverbium: *Päivän sappi satubixi, cuun kehä poudixi ia tulixi.* Aurora borealis late diffusa, ita ut stellam polarem transcendat, ventum vehementiorem austrinum portendere est animadversa. Dum sol tempore aestivo repente flagrantissimo calore exæstuat, haud procul aberit pluvia. Si vero idem mense Junio, quo tempore illam speciem cœduarum silvarum segeti destinatarum, quæ *caski* dicitur, comburere solent nostri, oriatur in nube spissa, quam tamen ante prandium dissipavit, ita ut lumine lucido fulgeat, serenitas plurium dierum insequetur.

Albæ

Albæ sub sole ad descensum properante nubes, si vel re-
 liquum cœlum fuerit atris obductum, aliquot tamen
 dierum serenitatem pollicentur; sed nubes emergentem
 solem antecedentes pluviam. Dum sol oriens serena
 & calida luce fulget, licet ad favorium nubes sitæ sint,
 siccum tamen tempestatem illo die promittit. Si ve-
 ro æstivo tempore inter nubes occidat, & eadem
 illi emergenti obviæ fuerint, tetra & humida tempe-
 stas non procul aberit. Sole variis coloribus superbien-
 te, & radios suos quasi e nube purpurea dispergente, plu-
 rium dierum atrocior ventus exspectatur. Si porro cœlum
 circa solis occasum rubescat & simul pluviam effundat,
 sequentibus diebus clarum; si vero eam retinuerit, caligino-
 sum & humidum erit. A rubidine occidentali calidam
 tempestatem exspectant, imprimis autumno. Atmosphæ-
 ra sub occasu solis, tempore vernali, atra aut subfuscā
 apparens, hiemis moram; idem vero phænomenum au-
 tumno dies æstivos nunciare perhibetur. Dies tres circa
 solstitium dicuntur nostris *pesäj äivät*, quibus in antro
 quasi quiesceret sol. Si frigidum fuerit hoc tempus autu-
 mno, mitem hiemem, si vere calidum, frigidam æstatem
 insequuturam credunt. Iridem soli oppositam diurnam
 & ingentem pluviam præfigire perhibent. Quam profun-
 da laborent prognostici hujus prolatores naturæ ignoran-
 tia, inde patet, quod ut conditionem, sub qua arcus unice
 denunciaret pluviam, requirant, ut sit soli opposita; quasi
 etiam sub alia conditione conspicua esse posset, cum tamen
 semper in nube rorante soli opposita appareat. Veteres
 Gothi, ceu ex *Eddæ Myth. II.* apparel, credebant, iri-
 dem

dem esse pontem igneum triplicis coloris, Deorum manibus paratum, a terris ad cœlos protensum, cui nomen *Bifrost*. Apud Romanos opinio & error aliis vulgi erat receptus; iridem nimirum aquam cornibus suis haurire, & ea nutriri; unde *Virgilius*: *Et babit ingens arcus*. Idem apud nos pars infimæ plebis credit, crura scilicet arcus cœlestis esse cornua ingentis vaccæ, quibus incredibilem molem aquarum absorberet, quam deinceps evomendo dispergeret. Crurum vero extremitates pateris aureis vel argenteis insistere insuper garniunt, quibus potiretur ille, qui cum mulætra in manu ter alterutrum cornu circumvenitare valeret. Crederes, ex cornuum magnitudine ad corporis molem argumento ducto, in scenam produci taurum ingentem *רָבֶשׂ*, quem in magno illo convivio sibi apponendum somniant Rabbini. Nubes atræ, & quæ quasi montes vaporum ante meridiem in solano vel aquiloni volvuntur, jam eodem die, vel ad minimum nocte sequenti, pluviam largiuntur. Quæ vero hamatae & quasi concavæ sunt, ventum oppositum in se spirantem portendunt. Imbre ante solis occasum cadente sicca tempestas postero die erit. Serenum quoque cœlum pluvia vehementior circa solis ortum pollicetur. Pluvia prolixior cum leni Zephyro cessans serenitatis spem facit. Etsi omnis probabilitas his indiciis deneganda non sit, neque tamen omni exceptione majora sunt. Potest enim tanta molecularium aquearum copia in atmosphæra adesse, ut imbri repetitæ sufficiat. Possunt venti ab aliis regionibus vapores adferre, adeoque molem eorum augere

22 101 22

augere. Possunt brevi novæ evaporationes adscendere, novam largientes pluviam. Et ita porro. Grandines, quo albentes magis & rotundiores fuerint, eo vehementius frigus prænunciant. Si nubes celerius solito moveantur, ventos plerumque fortiores, præsertim Africum, præstolantur, & simul serenitatem. Ventus sole oriente non sedatus, vehementem plurium dierum tempestatem prædictit. Si fulgura & fulmina emicuerint, glacie nondum soluta, algidissima æstas; si vero eadem comparuerint demum nive & glacie discussa, æstas oritur bene temperata. Tonitrua itidem matutina vel vespertina fulgurantia ventum præsagiunt. Fragore vehemente aures feriente, fulgure vero debilius viso, ventum ex ea plaga, unde auditur tonitru, exspectant. Tempore hiemali, venti vehementiores & tinnientem sonum edentes, nivium resolutionem polliceri dicuntur. Tempestates vehementiores vernales, hiemis, autumnales mitioris tempestatis moram indicare, sequenti docent proverbio: *Suo jaxi sykyiset tunlet, talven jatco keväiset.* Ventis orientalibus siccac cœli temperiem se debere profitentur. Hi enim, dum per vastissimos orientaliores campos pertranseunt, non possunt magna aquæ copia prægnantes accedere. Dissipant autem ex adverso nebulas, quas pluvialis austus parturierat. Æstate etiam venti meridionales haud raro pluviam adferunt. Ventus borealis periculosis æstate judicatur, in primis, si post plurium dierum tempestatem humidam adventarit & aërem serenaverit. Frigus enim secum ferre solet, quod haud raro corruptit segetes &

B

olera,

olera, liquoribus eorum congelatis. Hiems remissa nimis adeo mali ominis frugibus creditur, ut dicere soleant: *Joca laitta pahaa, laitta con suvisa talve; joca kiitâ hyvää, kiitän hyvää Jumalat.* Hyemem tamen anni 1750. post hominum memoriam mitissimam felicissima annona excepit. Si silvae, juga montium, colles & alia obstacula solida remiserint sonum illapsum, ita ut echo, jocosa illa aëris filia, clare & distincte tinniente clangore audiatur, bona cœli temperies aderit. Si vero mox evanescentem & confusum sonum ediderit, tempestas pluvialis incidet.

S. III.

A Julii festi frigore æstatis adultæ & in specie Johannis diei calorem exspectant. Ex hiemis quoque indole de æstate insecurita calculos subducunt; credunt enim aliqui, cuilibet hiemali mensi respondere oppositum æstivum. Nivem quoque eodem tempore æstate pluviam promittere. Procellam autem nive mixtam tempestatem sicciam æstivam prænunciare. Alii duodecim dies, vigilias natalitorum Christi sequentes, singulis anni futuri mensibus præstitutos esse sibi persuadent; ita ut Januarius eo æthere foret temperatus, quem in primis feriis observarunt; Februarius illo, quem in secundis, & ita porro. Fuere hæc præfigia jam a venerabili *Beda*, qui plusquam mille abhinc annis vixit, in libello, quem *prognostica temporum* inscripsit, tanquam certa & genuina adoptata; neque tamen post tot numeratas hiemes de falsitate horum auguriorum potuit

potuit plebem convincere rariſſime iisdem respondens
eventus. Nebula mox post festum Julium ſupra lacus
& paludes pendula, & quidem ſublimius in atmosphæ-
ra, ſiligini fata a frigore adverſa præſagire judica-
tur in clivis & locis altioribus. Si vero ſuperfi-
ciei aquæ stagnantis iſiſtat nebula, frumenti corru-
ptionem a pruina in depreffis & uvidis locis me-
tuunt. Sed nebula mense Februario conſpicua, por-
tendit ſtragem leguminum & ſeminum vere terræ
comiſſorum. Si ſilvæ tempore, quod intercedit fe-
ſtum Julium & Epiphaniæ Domini, nec imbre gla-
ciali obductæ, nec nive obrutæ fuerint, annonæ uber-
tas æſtate ſequenti imminet. Si vero ſecus, omen
ad annonæ difficultatem inde capitur. Hinc etiam for-
tior ventus hoc tempore arbores ramosque concutiens, &
a nivibus ac pruina liberans, auſpicati ominis creditur.
Si procella nive mixta die Pauli, vel feſto candelarum,
& pinguium cinerum diem antecedente, non inciderit,
legumina uberem proventum dabunt. Sole Sigfridi
die nivem in tectis calore ſuo diſſolvente, procella
nive mixta non erit in longinquο; mature etiam tum
æſtatem exſpectandam volunt. Mensis Februarii fri-
giſus lātas ſegetes & frumentum melioris notæ noſtris
pollicetur. In meneſe, quo festum annunciationis Ma-
riæ incidit, tertium diem poſt novilunium ſolicite ob-
ſervant; ſi enim ventus aquilo tum obtinuerit, diu-
turna & nunquam fallente experientia ſe didicifſe per-
hibent, eundem, per tres meneſes ſubſecuturos, futu-
rum frequentiſſimum. Cœlum ſerenum & nulla nube

inquinatum primo die festi paschatos, olerum, leguminum lini cannabisque copiam polliceri creditur. Nivium resolutio ante Matthiae diem, indicat impendentem vehementiorem tempestatem. Aquæ e terra ebuentes & fontanæ a Matthiae die frigescere, stagnantes vero tepescere incipiunt. *Silloin lämmi kivi järveen, kylmä kivi lähteeen lähetetän.* A luce vero Jacobi contrarium eveniet. Tempesta calida ante diem Erici præsagit æstatem frigidam & annonæ caritatem. Si nocte ante diem Georgii frigus vehemens fuerit & ventus borealis, æstas quoque frigida exspectatur, & spem messis nullam foyet agricola. Atrocior ventus die Bartholomæi, per integrum sequentem autumnum malaciaæ & tranquillitatem promittere censetur. Cœlum serenum & clara tempestas, die Michaëlis, qui illis lætitiae & commessationi impenditur, æstatem torridam & sicciam, pluviosa vero humidam portendere judicatur, sub qua hordeum exustis silvis commissum detrimenta caperet. Avena vero in fundo arenoso lætaretur. Qualis cœli temperies per tres dies, qui excipiunt festum Michaëlis, talis quoque tempestas ad festum omnium sanctorum permanet. Si sol inter hoc, quod jam diximus, festum & Martini diem claros per integrum diem sparserit radios, hoc serenitatem per novendum sub initio veris ac nive discussa portendere creditur. Quo magis serenum fuerit hoc tempus, eo mitiorem æstatem sibi pollicentur; si vero totum clarum, aridissimam, vernalia semina omnia corrumpentem. Ostendunt hæc præsagia, Carelienses, more

more nec aliis gentibus imusitato, diebus certis vim
& efficaciam singularem tribuere, quæ ex antipathia,
sympathia, & nescio quo influxu, tempestates dirige-
ret. Sed non hoc solum, verum etiam mirandos alios
in rerum natura effectus iisdem adscribunt. Talem
vero facultatem competere judicat superstitione eo-
rum credulitas imprimis nonnullis festis, quorum ce-
lebratio singulis annis in memoriam alicujus sancti
recurrat, quasque ferias ecclesiasticas foli religiosæ an-
tiquitatis consuetudini, & nulli physico naturæ ordini
originem suam debere quisque facile videt. Horum
tamen dierum nonnulli boni & felices forent ad a-
vertruncandos malos genios, damna amolienda & cer-
ta negotia œconomica peragenda; alii infausti. Ita
si die Bartholomæi ventus aquilo viguerit, aucupes
prædæ ubertatem sibi pollicentur. Aëris serenitas die
Laurentii incendia fortuita illo anno parturire credi-
tur. Die Jovis ante Paschali nulla negotia, quæ cir-
cumagendo peraguntur, obeunda erunt; ita lanam vel
linum torquere aut molas versatiles agitare tum non
licet. Secus enim si fiat, phtisi laboraturos domesti-
cos autumant, & lares habituros minus propitios;
in quorum etiam potestate per insequenter noctem
essent molæ illo die agitatæ. Festo pinguium lardo
& rebus opimis non vescitur infima plebs, ita se pe-
cudum pinguedini consulere credens; quod inter
papatus reliquias videtur referendum. An vero sequens
hoc Judaisnum sapiat, ita ut heic adsit agni Pasca-
lis imago; adeoque an hinc peti queat argumentum

ad ostendendam Finnorum ex decem Israëlitarum tribubus originem, aliorum esto judicium. Tempus certe mactationis utrobique non convenit. Neque alibi hic ritus obtinet, quam in Carelia & parte Savolaxiae. Die Olai agnus nondum tonsus, nostris *Villovuona*, ad hunc usum jam vere selectus, mactatur. Hujus omnia exta & intestina erunt in terram defodienda; corpus vero integrum, ne unico quidem osse fracto, vel coquitur vel assatur. Hospes nullus vel servus, imo nec gener aut nurus, nisi jam diutius domum inhabitarit, ad hoc solenne epulum admittitur. Cultro agnus non discinditur, sed manibus & dentibus dilaniatur. His rite observatis, singularem possessionibus suis benedictionem se accelerare credunt. Taceo ritus, quibus festo omnium sanctorum lares placant, quibusque die Georgii pecora sua ab omni infortunio munire solent, aliaque his similia, cum hoc jam non agamus. Exempla hæc allata jam ostendunt, quanta superstitione circa dierum selectum Careliensis laborent. Negotia etiam ruralia pleraque certis diebus alligant, quod longum esset recensere. Nituntur in his vel inveterata superstitione, vel majorum traditionibus, vel denique deproperato judicio ipsi in ejusmodi opinione inciderunt. Cum enim aliquando observerint, has vel illas tempestatis mutationes certi diei pluviam vel serenitatem fuisse insequatas, statim prognosticum condidere, nil amplius de novis observationibus instituendis & institutis inter se conferendis solliciti, ut sic regulas haberent generales fida experientia stabili-

stabilitas, ad quas tempestates feliciori cum successu prædici possent. Sunt ergo ejusmodi traditiones fabulosæ & superstitione plenæ, atque haud raro cœconomiæ feliciori culturæ obicem ponunt. Neque enim observationibus olim a majoribus circa dierum & temporum ad negotia ruralia peragenda selectum rite institutis, posse hodie temere fidem adhiberi, sed illas jam fallere, eleganter, ut solet, ostendit Celeb. *Wargentin* in itinerario *Härlemanniano* 1750. p. 46. seq.

§ IV.

Jam ad prognostica illa, quæ ex aquis, paludibus, lacubus fluviisque petunt Carelienses, pes erit promovendus. Hæc sunt maris accolis plurima, quorum ope felicissime sæpe venturas tempestates præcognoscunt; nostris vero mediterraneis pauciora. Quando aquæ tranquillæ undis aliqua sui parte agitari incipiunt, ventus consurgens inde mox spirabit. Si vero post turbulentam tempestatem undæ subito quieverint, alias oppositus vehemens ventus brevi aderit. Lacus & nives sub miti hiemali aëre splendescentes, frigoris, sub gelido autem remissioris tempestatis indices creduntur. Litorum spumescientia procellam prædicit. Aqua vero in tenuissimas bullulas remorum agitat abiens, instantem pluviam. A prima glacie, quæ autumno aquis obducitur, de futura hieme instituitur conjectura. Si enim illa fuerit solida & cohærens, frigus persistens & æquale; quo vero porosior ea animadvertisit, eo inconstantius erit hiemale tempus. Septem septimanis a primæ nivis adventu præterlapsis constantem hiemem præstolantur.

Aqua

Aqua stagnoruin ultra quam fieri solet, vel elevata vel de-
pressa tenuem piscaturam portendit. Tellus rorata sere-
nitatem, sicca vero pluviam præfigire judicatur. Nebu-
læ adscendentes pluviam, descendentes vero serenita-
tem prænuntiant. Circa nubes & nebulas ea est plebis
nostræ philosophia, quod sint continua & cohærentia
corpora; mollia tamen & flexilia, quarum fragmenta
essent tremellæ plicatæ undulatæ, in pratis interdum
conspicuæ. Has in receptaculo quodam longinquo asserva-
ri perhibent, ubi humiditate intumescerent, & unde quan-
tum satis est, in nostram atmosphæraram adventaret; ubi
humor earum exprimeretur, & postea in locum natalem
icerum avolaret materia crassior, nova denuo aqua im-
prægnanda. Audivi etiam eosdem ex hac hypothesi
diluvium facilius explicantes, quam quis unquam potuit
Philosophus. Ab insolita, ut alibi, ita etiam heic,
fluminum stagnantia & impedito cursu petere solet vul-
gus omina; scilicet vel bellum, vel annonæ caritatem,
vel contagiosos morbos, vel etiam alias quascunque ca-
lamitates isto phænomeno portendi, cuius tamen caus-
tas naturales variii reddiderunt. Perinde ac illius appa-
rentiæ, dum aquæ stagnantes rubicundum vel alium in-
suetum colorem exhibent; unde etiam plebs nostra va-
no tremore concutitur, & mala gravissima hariolatur.
Si monstra marina, neque enim plebi quidquam fre-
quentius in ore esse solet, quam ejusmodi apparitio-
num jactatio, alicubi in aquis se manifestaverint,
ventum exinde & tempestatem exspectant; præterea
hæc quoque aliquid mali portendere judicantur. Im-
primis

primis naufragia & submersiones. Sunt quoque ejusmodi phænomena, ex quibus imaginatio aut languidior visus phantasmata sibi construit, imminentis tempestatis præfigia. Confr. *Tiselii lacus Wetteri descr. P. I.* p. 68. seq. Transeo varia alia mutationis aëris indicia, utpote quæ vulgatissima sunt; ex. gr. petita ad instantem pluviam a vestium & aliarum rerum, butyri imprimis humescencia, salium solutione, funium tensione, &c.

§. V.

Aliqua etiam eorum præfigiorum, quæ regnum animalis nostris subministrat, erunt jam in medium producenda. Tetrao *Linn. 168.* illis hyetometri loco est; autumno enim hujus pectorales venas scrutantur, quæ si sanguine turgidae fuerint, annus ex illorum opinione pluviosus & ventosus, quo vero jejunæ magis eæ animadvertisuntur, eo siccior erit exspectandus. Passerum & parorum tempore hiemali circa ædes læta tripudiatio & garrulitas pluviam præfigit. Utpote etiam avium aquaticarum ad littora cum clamore abiutus, ibique languida quiescentia. Si cornix in aqua ambulet, frequenter se abluens; dumque anseres, hieme gelida, nive se lavant, semper tempestas humida exspectatur. Dum vero aves, quæ aquas inhabitant, ad lacus profundiores & rapidiora fluminum loca, quæ vix vehementissimo frigore concrescunt, vel etiam ad silvas se recipiunt, frigus diutinum haud procul aberit. Abitus autem avium migratoriarum & gregarium certum adventantis hiemis indicium est; & quo perniciori volatu tum feruntur, eo proprius præ foribus esse creditur. Ex mutatione coloris plu-

marum lagopi & pilorum leporinorum citius vel tardius facta, hiemis & æstatis durationem determinant. Si ungulæ equorum hyeme aquam exsudaverint, frigus remittit, & nivium resolutio exspectatur. Dum per triduum a nivis lapsu nulla conspicuntur ferarum vestigia, de constantiori hieme & non impedito rhedarum usu spem capiunt firmissimam. Sed si mures hieme abies arroferint, triste hoc omen frugibus censetur. Quando limaces in conspectum & planitiem prodeunt, dumque serpentes motu celeri feruntur, pluvia propediem aderit. Si cantharides vel scarabæi post solis descensum, gregatim & cum fuluro volitaverint, sicca & bona tempestas adventabit. Quando ficco & sereno cœlo formicæ gregatim e nidis prorepunt, & in arbores adscendunt, humiditatem; descendentes vero serenitatem promittere afferuntur. Dum mares alati summo mane in volatu sunt, negotia, quæ serenitatem exposcunt, audacter aggreduntur. Idem fit, quando vident vere scarabæos antra sua & foramina aperta relinquere, nam hoc siccitatem portendere creditur; eorum vero obiectio, humidam tempestatem. Coregoni edentuli in lacuum superficie conspicui pluviam annunciant. Esox in lacu Pyhäjervi captus ominosus & magni alicujus mali habetur nuntius. Lusus piscium vernali tempore serotinus, seram etiam æstatem & vegetabilium maturescentiam creditur indicare. Consulto missa facio præfigia alia plurima, quæ ex animalibus petunt nostri, quæque omnibus antea sunt notissima; eaque vel ab homine, nimirum dum proiectoris ætatis & debi-

debilioris sanitatis sentiunt corporis gravedinem, dum cicatrices pruriunt, turbulentiorem tempestatem adventare; vel ab animalibus aliis, e. gr. dum araneæ sedulo nent, dum canes gramine vescuntur. vel sues stramina portant, dum muscæ & culices molestiores solito sunt, pluviam brevi adesse; & reliqua his similia.

§ VI.

VIdenda denique breviter sunt indicia mutationum aëris, quæ ex rebus inanimatis petere solent Cagliarienses. Si illa extremitas sudis in sepe, quæ cœlum spectat, sole oriente sentiatur pituitosa, serenitas; si vero aquosa, pluvia erit exspectanda. Quando lignis pinguibus in tenues festucas fissis, quibus loco candelarum utuntur, titio prolixior adhæret, hiemi nivium resolutio; autumno vero bona cœli temperies adventare perhibetur. Idem quoque valet, si fuligo, quæ adhærere solet ollis, tota deflagraverit. Quando montes, turres & ædificia subducunt umbram, ventus adpropinquat fortior. Campanarum clangor vehementis, pluviale vel niveam tempestatem prædictit. Hoc etiam indicant fides & chordæ tensæ, nemine eas pulsante, sonantes. Ædes & silvæ pruina tectæ indicant frigus remissius. Utensilia ferrea & metallica nitorem amittentia pluviam præfigunt. Dum vegetabilia varia flores complicant, sciunt pluviam exspectare. Idem fit, si odor eorum fortius solito nares feriat. Si sorbi copiose baccas proferant, autumnum pluviosum, quo vero steriliores fuerint, eo sicciorum præstolantur. Sed hæc sufficient.

S. D. G.

'Thes. I.

C 2

Thef. I.

Supersticio est cultus Dei præpostera ratione institutus, dumque rebus naturalibus divina & ex naturæ ordine illis non competens efficacia tribuitur.

Thef. II.

Duplici potissimum modo in cultu religioso errant superstitiones, vel circa objectum ejus, vel circa modum.

Thef. III.

Causæ & fontes superstitionis sunt, præter naturalem hominum ad malum propensionem, præcipue imaginatio stulta & irrationalis, atque ignorantia ruditasque cognitionis.

Thef. IV.

Connectitur his metus servilis, ut varia homines excogitent, quibus placari Numen posse existimant, licet in peccatis perseverent. Hinc orta Εθελοθρησκεία, in effectus ineptos & ridiculos passim erumpens.

Thef. V.

Sublata una realitate in Deo, omnes etiam reliquæ simul tolluntur. Hinc supersticio cum nullo pari passu ambulat cultu. Adeoque superstitioni deditus certo respectu potest vocari Athæus.

Thef. VI.

Superstitioni, qua Ægyptii omnes alias gentes olim superabant, hieroglyphicum docendi genus occasionem præbuisse probabile est. Ab his supersticio per universum orbem fuit deinde dispalata.

Thef.

Thes. VII.

Veteres Philosophi contemtu physicæ, & doctrina
sua de dæmonibus, eorumque cum humano genere com-
merciis, superstitioni latam aperuere portam.

Thes. VIII.

Cultus, quem demortuis majoribus & parentibus
suis deferunt Sinenses, non est ritus aliquis innoxius,
sed crassa superstitione plenus. Adeoque a missionariis
Jesuitis ad Christianam religionem conversis impie con-
ceditur.


Thes. IX.

Quamvis Atheismus & superstitione inter se quasi æ-
mulentur in lædenda republica, illum tamen publicæ
saluti nocentiorem judicamus.

Thes. X.

In campo Philosophico Physica maximam habet
vim ad suppressandam superstitionem.

TANTUM.



Til

Herr FÖRFATTAREN

Af denna lärda Academiska afhandling.

När affichten intet går längre, än at betyga sin sagnad öf-
ver en Väns lyckeliga framsteg och tiltagande i dygd och
vitterlek; så är det just ingen nödvändighet, at visa, huru
stor samling af lärdom man sielf äger. Dertil kan et annat
ställe,

ställe, än äfven en fägne-skrift, vara tienligare. Jag anfört detta fäsom et försvar för mig emot dem, hvilka äro vané, at föka och finna i skrifter af detta slag allehanda små artigheter, och utvalde tankar. Detta kan ock, tör hända, gälla emot dem, som vid sådane omständigheter, som detta är, tycka mera om, at se et snille-barn framkomma i främmande gran-låt, än inhemska hvardagskläder. Min Herre, när jag alle-nast af uprichtigt hierta, fastän med fåå och enfaldiga ord, yttrar de angenäma rörelser, som mitt inra känner öfver den lärdom och skickelighet, hvarmed närvavarande ärne af Eder utvickladt är och federmera försvaras, samt den dygd, som pryder hela Er lefnad; när jag trogit önskar, at Edra fram-steg måtte hinna til den högd, som rör ovännens afvund; när jag trägit bär fram för den eviga Förflynen innerlig önskan, at Eder vackra afhandling om spådom i vederleken måtte spå Eder, min Herre, alla de intagande nöjen, alla de förlustan-de fällheter, som på dygd och lärdom följa; så vet jag, at hvar och en gifver mig vitsord, at jag i agt tagit den pligt, som åstundas.

af en lyckönskande Vän
och tienare,
GABRIEL ÅBERG.

Dno. AUCTORI.

Non omnia specimina Academica eodem tendunt. Quædam enim abstractas & universales veritates, quæ fuleri instar sunt, cui ceteræ disciplinæ innituntur, tradunt. Quædam iterum, ne omnia in nudis speculationibus subsistant, earum usum & applicationem tam in vita communi reliqua, quam ad œconomjæ felicio-rem

rem culturam, exponunt. Quivis, dissertationem hanc solide elaboratam animo attentiori volvens & perlustrans, dilucide perspicet, te esse felici minerva instrutum, & in utroque studiorum genere versatissimum. Laudes hinc tuas deprædicaturus nihil aliud quam actionem agerem. Ipsum hoc, omnibus licet tacentibus, Te laudat opus. Gratulor itaque Tibi eruditionem singularē, cum virtutum studio conjunctam. Gratulor Tibi, quibus Te dignum reddidisti, quosque propediem obtinebis, honores. Gratulor Parentibus Tuis honorandis in Te solatium ingravescens aetatis certissimum. Tam ceteris amicis Tuis quam mihi denique, cui Te cum a quatuor retro annis intercessit arcta familiaritas, gratulor, & Tibi omnia fausta & felicia ex animo voveo!

H. SURELIUS.

V. D. M.

MON FRERE.

Ceux, qui de bonne heure s'appliquent à l'exercice de la Vertu, & à l'Erudition, sont dignes de louange; & meritent enfin d'être heureux.

Vous êtes, Mon Frere, de ce nombre: Car, non obstant les difficultés, qui se sont présentées, l'on Vous voit toujours occupé, à Vous perfectionner dans tout ce, qui naturellement mène à un bonheur certain.

Aujourd'hui Vous venés d'en donner une preuve essentielle, par cette savante dissertation; Et comme il

n'y

n'y a pas moyen de douter de Vôtre perseverance, Vous pourvés avec le tems Vous attendre, à une fortune proportionnée, à Vos talens & à Vôtre merite.

Ce sont les prosperités que Vous souhaitez

MON FRERE

Vôtre tres - affectionnè &
tres - fidele Frere,
JEAN LAGUS.

AUCTORI hujus dissertationis,

Tam præstantia morum conspicuo, quam in literis per-
industrio atque politissimo.

Homines glebae movenda addicti non tam occupantur in re-
rum occultis caussis pervestigandis, quam vita commo-
de transfigenda & rebus agendis. Vitæ vero usus & rerum a-
gendarum necessitas utpote multas via experientiæ illis detegit
veritates; ita etiam, cum accurati examinis moram sibi non
permittant, multa supponere, multa credere, multa ut mani-
facta satis admittere solent; quæ tamen, penitus discussa,
manifesta aut vera non sunt. Ita vel vera vel dubia aut falsa
animadvertisuntur esse illa præfigia, quorum ope venturas aëris
vicissitudines indagare cupiunt. Hæc Tu apud Carelienses
nostros collecta præsenti egregia dissertatione exhibes. In lau-
des Tuas hac occasione mihi excurrendum esset; sed ea es e-
ruditione, ea morum integritate, quæ non potest non omnibus
esse perspecta. Macte ergo esto virtute, & illam contingi,
imo supera, quam Tibi proposuisti metu; ut bonis omnibus
gratus sis & acceptus, proprio & Tuorum satisfacias deside-
rio, amicorum denique Tuorum, in Olympo Apollineo ju-
cundum & alacrem agas æmulum! Sic magis mente quam ca-
lamo gratulari voluit

Tibi

addictissimus,
NICOLAUS JOH. DEUTSCH.